


Gottfried Oesfeld

**In illud Theologorum: Dic Et Servasti Animam : Dissertatio Theologica ... ad ductum Ezechielis Cap. III, v. 18, 19**

**Dissertatio Prior :**

Guelpherbyti: apud Johannem Christophorum Meisnerum, A. C. MDCCXXXVI

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn879208120>**


Band (Druck) Freier  Zugang








13/27 a. B.  
48. 6. 8.


Fa-1092 (II.)














In illud Theologorum:

**DIC ET SERVA  
STI ANIMAM,  
DISSERTATIO  
THEOLOGICA PRIOR.**

*ad ductum Ezechielis Cap. III, v. 18, 19.*

Qua, verba hæc ab vsu multorum leuidensi vindicat, ac sensu  
genuino & prægnantissimo explicat,  
simul

VIRO MAXIME REUERENDO AC DOCTISSIMO  
**JOH. FRIEDERICO OESFELDIO,**

hucusque  
apud Berolinenses ad templum d. Nic.  
V. D. M.

nunc  
Concionatori Aulæ Regiæ ac Legionis  
Boftampii fidelissimo,  
COGNATO SUO ÆSTIMATISSIMO,

Munus nouum gratulatur  
**GOTTHELF OESFELD,**  
apud Afcanienses ad d. Steph. templum  
V. D. M.

---

GUELPHERBTI,  
apud JOHANNEM CHRISTOPHORUM MEISNERUM, Bibliop.  
A. C. M DCC XXXVI.

41

41/5.

41.16.

40.47.

39.

48.

38.

49.

In illud Theologorum:

DIO ET SERVA  
 STI ANIMAM  
 DISSERTATIO  
 THEOLOGICA PRIOR  
 JOHANNES BAPTISTA  
 VERONENSES AC DOCTISSIMO  
 JOHANNI FREDERICO OESFELDIO  
 Conclatorum Aule Regiae ac Legionis  
 COGNATO SUO ESTIMATISSIMO  
 GOTTFRIED OESFELDIO  
 A. M. D. C. C. X. L. I.



## §. I.



**D**IC ET SERVASTI ANI-  
 MAM, Theologis in pro-  
 uerbio est, ac multorum  
 ore fertur. Operam non  
 perditurum me putavi, si  
 animum appellerem ad  
 vsum eius in vulgus leuidensem profligandum, &  
 e contrario genuinum sensum, eumque prægnan-  
 tissimum maximique momenti, eruendum. Iuuat  
 Ezechielem Prophetam Cap. III, v. 18, 19, coll.  
 Cap. XXXIII, v. 8, 9, sequi: quum, ex hoc sacri  
 codicis loco, prouerbum illud natales suos cepis-  
 se, in aprico sit. Quid itaque DICERE sit, &  
 quid SERVARE ANIMAM cum opposito suo,  
 A 2 quod

44.

44.5.

41.16.

40.47.

39.

48.

38.

49.

quod est perdere animam, exponam: illud quidem nunc; hoc vero, volente Deo, quam primum alio tempore.

§. II.

DICERE illud, vt in ambitu suo ac emphasi pateat ac capiat: verba Prophetæ, quæ huc collineant, paullo curatius ponderanda sunt. Sic vero se habent v. 18. *Quum dixerò impio, moriendo morieris; & non monueris eum, nec locutus fueris ad debortandum impium a via sua impia, ad viuificandum eum.* Agitur hic de officio ministrorum ecclesiæ epanorthotico, cuius occurrit 1) *OBIECTUM PERSONALE*, 2) *OBIECTUM REALE*, 3) *ACTUS*, 4) *FINIS*.

§. III.

I. OBIECTUM PERSONALE.

*OBIECTUM PERSONALE* officii epanorthotici est impius. *Si dixerò impio*, inquit Jehouah, Nonnumquam etiam conuersis ac piis epanorthotici sacra, non quidem iras ac minas spirante, piosque ludibrio ac insectationibus impiorum propinante, sed paterna, opus esse, nemo nescit. Peccatum enim, ἐν περίπτωσι illud malum, Hebr. XII, 1, hoc omnino

\* ) o ( \*

5

omnino requirit. Hic vero speciatim de epanor-  
 thosi, quatenus impios concernit, verba fiunt.  
*Impius* vero עוֹרֵף hoc loco ille est, in quo malum il-  
 lud peccati originalis adhuc dominium tenet, idque  
 peccato actuali proæretico, hoc vel illo, prodit.  
*Dicit* vero Deus eiusmodi impio atque indicit sen-  
 tentiam mortis, per iustissimum verbi suffragium.  
 Quale e. c. legitur Deuteron, XXX, 15: *vide, propo-*  
*sui tibi hodie vitam & bonum, mortem item & malum.*  
 Mors enim & malum catenato vinculo cohærent.  
 Quisquis malum amplectitur, & mortem sibi con-  
 trahit. Quod si itaque eiusmodi verbi diuini ora-  
 culis ex æquo attendamus: inueniemus sæpissime  
 sententiam mortis, a Numine iustissimo iam diu  
 impiis latam.

§. IV.

*OBIECTUM REALE* proponitur per mortem,  
 quatenus scilicet euitari potest ac debet. Si dix-  
 ero impio, inquit Deus, *morte morieris.* Intelligitur  
 mors æterna. Spirituali enim morte iam cor-  
 reptus est impius. Quod si vero in ea finaliter  
 perseuerat; ac *vetus homo in cupiditatibus deli magis ma-*

A 3

gisque

44.

44.5.

41.16.

40.47.

39.

48.

38.

49.

gisque corrumpitur, Eph. IV, 22, & sic spiritualiter quasi putrescit; mors æterna spirituales non potest non sequi. Neque vero hic *mories* tantum legitur, sed *morte mories*, non sine emphasi. Indicatur enim rei certitudo. Idem est ac, omnino mories. Fieri enim aliter nequit, quam ut summa Dei sanctitas & iustitia a sua remoueat æternam communionem, eos, qui ordinem salutis ac vitam vitæ malitiose repudiarunt. Non est itaque, ut verbi minister impiæ mentis hominibus summum animæ periculum dissimulet; ut potius mortem æternam iussu diuino, præeunte scriptura sacra, iis clare ob oculos ponere debeat. *Ast*, inquit impius, *nemo me damnare potest?* Sed distinguendum inter damnationem ipsam, quæ est regale iustitiæ diuinæ, & damnationis siue sententiæ mortis annuntiationem ac insinuationem, quæ est pars officii ministerialis. Id quod discrimen hoc ipso v. 18, fundatum inuenimus. Verba enim, *si dixerit impius, morte mories*, damnationem ipsam respiciunt, quæ est opus diuinum. Verba vero, *et non locutus fueris*, annuntiationem iudicii condemnationis indicant, quæ ex mandato diuino, ministrorum verbi est, Quem itaque Deus ipse & oracula

cula diuina damnant, eum profecto minister verbi iustum declarare beatumque prædicare nequit. Cum morte vero æterna simul peccata hominum obiectum officii epanorthotici, reale constituunt, non perfunctorie iis ad animum reuocanda. Sunt enim peccata teterrima inferni genii vincula, quibus impias mentes non modo in spirituali morte detinet, sed ad æternam quoque trahit quam miserime.

## §. V.

*ACTUS* sequitur epanorthoseos sacræ explican- III. Actus.  
 dus. Huc spectant verba: *Et non monueris eum, nec locutus fueris ad debortandum impium a via sua impia.* Hisce verbis actus epanorthoseos paucis primum *indicatur* ולא הזהרתו *Et non monueris eum.* Bene B. Lutherus: und du warnest ihn nicht. Hanc enim verbi significationem requirit contextus sermonis. Constitutus erat Propheta speculator. Quemadmodum itaque speculatoris est tempore belli, vt populum de aduentu hostium commonefaciat, conf. Ezech. XXXIII, 2, sequi eodem modo decebat Prophetam, vt præmoneret impios. Quo sensu verbum hoc הזהרת etiam occurrit II Reg. VI.

44.

44.5.

41.16.

40.47.

39.

48.

38.

49.

VI, 6. Cohel. IV, 13. Ezech. XXX, 3. Proprio vero sensu הזוהר significat, *fulsit, splenduit*, vt Dan. XII, 3, dicitur: *Doctores fulgebunt vt splendor firmamenti*. Admonitio itaque lucis instar est, prælucentis homini in tenebris spiritualibus ambulanti, vt aperiat oculos mentis atque cognoscat, tota se aberrasse via, ac in periculo versari, vt præceps ruat in abyssum. LXX Interpretes Verbo διατίλλομαι vtuntur, quod *interdico, veto*, significat, prout Marc. VII, 36 legitur, vbi Christus διετίλλο, interdixit hominibus, ne rem sanationis miraculosæ palam facerent. Decet proinde presbyterum officio suo rite functurum, interdicare impio omni eo, quo mortem sibi ipsi contrahit. Principaliter ipse Deus interdicit: presbyter vero, cui diuinitus id commissum, ministerialiter.

§. VI.

הזוהר monere hoc itaque eiusmodi est muneris demandati officium, quo presbyter, postquam ipse statum hominis cuiusdam ad normam verbi diuini explorauit, & proh dolor! damnabilem cognouit, eundem peccatori quoque ad animum reuocat, eo fine, vt & ipsum ad cognitionem sui ipsius,

ipsius, statusque animæ quam miserrimi deplorandique, perducatur. Quapropter hæc muneris ecclesiastici pars non sane flocci pendenda, sed pro re maximi momenti reputanda est. Quodsi enim Numen sanctissimum a seruis suis, idque summo iure exigit, ut ignorantia tenebris inuolutos doceant; heterodoxiam profligent; dicto audientes viamque rectam ingressos ulterius ducant promoveantque; afflictos tandem fractosque animo erigant: quid quæso de epanorthosi sacra existimandum? & eam profecto Majestas diuina verbi ministris iniunxit quam religiosissime. Egregium hac in re Nathan Propheta exemplum nobis præbuit. Postquam enim David res nefarias commisisset; tum Propheta: *tu inquit, vir ille mortis.* II. Sam. XII, 7. Firmauerat enim vates animum aduersus periculosissimam regis inclementiam odiumque: adeo ut regi malum culpæ ac pœnæ ad animum reuocaret, mortemque quam peccatis suis contraxerat, æternam ex mandato diuino strenue indiceret.

## §. VII.

Actus epanorthoseos sacrae vberius porro <sup>2)</sup> declaratur.

B

decla.

declaratur, his verbis: *nec locutus fueris ad debortandum  
 impium a via sua impia.* Ea est stili sacri indoles, vt  
 sapius priora verba sequentibus declarentur magis,  
 animisque vberius inculcentur. Id quod nequa-  
 quam pro *ἁυλολογίας* inani, quæ apud oratores in  
 vitiis est, sed exegetica ac emphatica, (\*) quam  
 rei necessitas, vel adfectus, vel auditorum acedia  
 requirit, reputandum. Atque sic sanctissimus  
 Spiritus verbis hisce declaratiue repetit, atque  
*ἐμφατικῶς* inculcat, epanorthosin sacram. Eo ten-  
 dit scilicet repetitio verbi *הוזהיר* cum aliis *ἐπιξρηγι-  
 κῶς* connexi, vt rei grauitas ac necessitas ostenda-  
 tur summoque opere commendetur. Requirit  
 proinde vis ac emphasis verborum, vt epanortho-  
 sis sacra fiat *sapius* iteratisque vicibus. Non suffi-  
 cit semel tantum ac obiter, in transcurso quasi, im-  
 pium

moneantur  
*sapius.*

(\*) Eo audaciæ quidam, critico inflati supercilio, progres-  
 si sunt, vt *ἁυλολογίας* inutiles codici sacro adfingent.  
 v. Jo. Clerici Diff. III. de scriptore Pentateuchi p. 31.  
 cum aliis. Sed plures magni nominis Theologi istam  
 Criticorum quorundam petulantiam pro merito casti-  
 garunt. v. D. Henrici Klausingii specimen vindiciarum  
 sacri codicis a *ἁυλολογίας* criminatione. Id quidem cer-  
 tissimum est, sapius ex ignorantia discriminis verbo-  
 rum, allarumque circumstantiarum, pro *ἁυλολογίας* ven-  
 ditari, quod tamen singularem vim atque emphasis  
 sermonis inuoluit.

pium monere: sed, sæpius vt fiat & cum instantia, necesse est. Non desistendum est verbi ministro; quamquam iam sæpissime antea laterem lauarit: donec, si fieri possit, voti sui compos fiat. Id quod & Paullus Apostolus Timotheo suo ad animum revocat II. Tim. IV, 1, 2, dum, *obtestor*, inquit, *ego coram Deo & Domino Jesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, in illustri suo aduentu & regno suo: prædica sermonem, in sta tempestiue, intempestiue: (\*) argue, obiurga,*

B 2

exbor-

(\*) Hic auctor nobis est Apostolus, vt & intempestiue instemus. Eo scilicet sensu, *ex parte auditorum*, si importunum tempus putatiue ac falso sibi ipsis, corruptæ carnis fraude, imaginentur: quanquam rei necessitas ac caussa Dei aliud requirat. *Ex parte vero docentium*, si & illi importunum tempus ex errore sibi persuadeant, studio placendi præpostero, inanique metu seducti. Multi enim sapientiam, nescio quam, ostentant: cuius tamen obtentu id modo agunt, ut pecuniis, honoribus, auræ populari, otio, aliisque rebus secundis inhiant. Egregie itaque Chrylostomus ad h. l. *nullum*, inquit, *habeas definitum tempus; semper tibi tempus sit: non solum in pace & quiete, neque in Ecclesia tantum sedens; verum & inter ipsa pericula, siue carcere inclusus, siue catena constrictus, siue mortis lata sententia ad mortem properes; isto etiam tempore argue, neque increpare dissimules.* Videatur etiam B. D. Gottfr. Olearii Theologi Lipsiensis celeberrimi, Præceptoris ac Fautoris etiam post fata suspiciendi, *geßilt. the Seelen-Cur p. 982. vbi: ein Lehrer soll straffen, drohen, ermahnen, mit aller Geduld und Lehre: auch damit anhalten, nicht nur wenn es sein Appetit mit sich bringet, sondern* *ὑποαίγας, ἀναίγας, es sey ihm selbst gelegen oder ungelegen.*

44.

445.

41. 16.

40. 47.

39.

48.

38.

49.

*exhortare cum omni lenitate & doctrina.* Quadrant huc  
& verba Cohel. XI. 6: *mane semina semen tuum, & ve-*  
*speri ne remittas manum tuam.*

## §. VIII.

*perspicue.* *Perspicue* porro, ad conuictionem vsque, mu-  
nus epanorthoticum administrari debet. Anima-  
rum enim salus in summo versatur periculo; quare  
nihil dissimulandum, sed dicendum, quod res est.  
Vt vero *perspicue* & cum conuictione administre-  
tur epanorthosis: primum positum sit necesse est,  
vt sufficiens adsit rei christianæ cognitio. Sine hac  
enim admonitio sacra maximam partem euanescet,  
ac fructu sperato destituetur. Dicitur non potest  
proh dolor! quantopere vulgus vt plurimum ex  
ignorantia laboret. Quodsi itaque homini suffi-  
ciens doctrinæ christianæ cognitio desit: huic ma-  
lo ante omnia occurrendum est. Deinde non suf-  
ficit nuda peccati commissi commemoratio ac dis-  
suasio: sed occasio inde apprehendatur, in ipsa ho-  
minum interiora penetrandi, ac ipsum animæ sta-  
tum, conuersionis veræ adhuc expertem, ob ocu-  
los ponendi. Vt plurimum enim ardua ac diffici-  
lis res est, ad veram miseræ suæ spiritualis agnitio-  
nem

nem homines perducere. Plurimorum christianismus desultorius est. Nunc cupiditatibus suis frena laxant, ac sæculi vanitatibus indulgent: nunc Deo litare volunt. Nihilo tamen minus Numini diuino se in deliciis esse, ac inter complexus eius viuere ac mori posse, autumant. Sed toto cælo errant. Fallitur, qui christianismum desultorium pro genuino venditat. Quin fallitur, qui externa honestate conspicuos statim pro vere regenitis ac conuersis reputat. Non quidem fugit me illud Jurisperitorum: *quilibet presumitur bonus, donec probetur contrarium*: quod aliam firmare sententiam videtur. Sed transeat illud, si ciuilitate ac politice spectetur. Falsum vero est ac *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*, si ad forum diuinum applicetur. Presbyteris, tanquam medicis spiritualibus immutandum merito est, in hunc modum: *quilibet presumitur malus, donec probetur contrarium*, per veram scilicet conuersionem eiusque criteria. Cogitandum enim hic est, aliud esse forum diuinum, & aliud forum humanum. Humanum externa modo facta respicit: diuinum vero mentem ipsam iudicat; in intimos eius recessus penetrat; ac veram *μετάνοιαν* mentisque immutationem requirit. Quid? quod per labem connatam

44.

44.5.

41.16.

40.47.

39.

48.

38.

49.

adeo corrupta mens sit, vt omnis homo non modo præsumi debeat, sed omnino sit malus, immo pessimus, natura sub dominio peccati constitutus: donec, per nouam illam creationem, indolis diuinæ ac spiritualis particeps fiat. Inde apparet, peccatum quodcunque voluntarium quam maxime irrogenitis criterio sistendum esse, ex quo statum suum sub dominio peccati ac iræ diuinæ miserrimum certissime colligere debeant.

## §. IX.

*Prudenter.*

*Prudenter* quoque epanorthosis fieri debet. Si quidquam aliud: certe munus epanorthoticum prudentiam singulari modo requirit theologiam. Eam vero qui sequitur, gradus admonitionum non negliget: ac priuatam prius operam nauabit, quam publice redarguat. Obseruabit simul & illud Christi Matth. XVIII, 16. vbi: *Sin te non audierit, accipe tecum adhuc vnum aut duos.* Id quod a Collegis potissimum saluberrime exerceri potest: si modo, quemadmodum laboris externi, sic & amoris ingenui pacisque vinculo, maneant in Domino nunquam non consociati. Prudens etiam Concionator ea, quæ audit, ex praua mentis leuitate, non susque

susque deque habebit, Solent enim omissam ad-  
 monitionem sequi morsus conscientiae quam acer-  
 bissimi. Neque vero prudentia theologica finit,  
 presbyterum cuiusque sermunculo adeo sese cre-  
 dulum præbere, ut statim cælo delapsum putet,  
 quod maleuolus interdum ex inuidia mentitur,  
 Rebus suis itaque optime consulit, qui rei verita-  
 tem, cui superstruere sermones suos possit, inuesti-  
 gare operam dat: eoque allaborat, ut omni tem-  
 pore excubias agat sacras quam vigilantissime.  
 Non minus ex *miserante amore* correctio pastoralis *amanter*,  
 profluat. Pravi adfectus omnes, in primis virus  
 iracundiæ & acerbitalis, hic exulent. Quodsi  
 enim æstus ac impetus naturalis sese immisceat: la-  
 terem lauabimus, fructu sperato euanescente. Eo  
 itaque modo verba facienda sunt, tam publice,  
 quam priuatim, quem Apostolus tradit II. Cor. II.  
 17: *ex sinceritate, & ex Deo, in conspectu Dei*. Neque  
 tamen frigide res tractanda; sed serio & ex animo:  
 ne vel sic ad exemplum Eli I. Sam, III, 13, ira Nu-  
 minis commoueatur. *Sine mora* itidem & absque *sinemora*,  
 temporis dispendio admonendi sunt impii: ne  
 morte repentina oppressi, in cruciatus æternos  
 ruant.

44.

44.5.

41.16.

40.47.

39.

48.

38.

49.

*fidenti  
animo.*

*Fidenti animo* pariter hic opus est. Quem in finem sapius in memoriam reuocent verbi ministri, legitimam suam ac diuinam ad munus sacrum vocationem. Non desunt quidem, qui variis nefariisque modis in ministerium ecclesiasticum se ingerunt. Postea enim, quam absoluerunt, vti loquuntur, cursum, vel potius volatum suum per academiam; omnibus, quod aiunt, velis & quadrigis satagunt, currendo, patronos vndiquaque conquirendo, hocque vel illud nefas promittendo; vt quamprimum muneribus publicis se insinuent. Atque sic voti compotes redditi, pinguioribus subinde spartis inhiant; ac redditibus sellulariis & culinariis amplificandis operam nauant. E contrario vbi sunt illi, qui opimos redditus cum tenuioribus permutant; eum vnice in finem, vt regni Christi commodis animarumque saluti seruiant? Nihilo tamen minus quicumque vocatione legitima ac diuina gaudet, confidere in illa potest ac debet firmissime, quemadmodum omni tempore, ita in primis si monendi auditores sint. Meminerint pariter presbyteri, causam Dei esse, quam agunt, etiam in officio epanorthotico. Vult itaque Deus, vt vox seruo-

seruorum suorum etiam monitoria, tamquam a se ipso pronuntiata habeatur. Nil enim, nisi *voces Dei sunt: Deus ipse vero est clamans per eos in deserto, Matth. III, 3. Vnde & Christus: qui inquit, vos audit, me audit: & qui vos reicit, me reicit: qui autem me reicit, reicit eum, qui misit me, Luc. X, 16.*

## §. XI.

Tandem etiam *cum perpeffione quarumcunque calamitatum* præmonitio auditorum fieri debet. Non enim deerunt varia afflictionum genera. Acheronta mouebit genius inferorum, gregem impiorum in fidos Dei seruos immiffurus. Virus voment mancipia Satanæ: conuitia, obtreftationes & comminationes in eos ingerent: quin infectationes, modo clam in sinu, modo in aprico, machinabuntur. Videat itaque noster, ne tot tantaque calamitatum genera animum frangant; sed vt fortiter ea omnia sustineat: memor consilii illius egregii: *perfer, opus perage Euangelista, ministerii tui plenam fidem facito, II. Tim. IV, 5; & præclari illius exempli, quod litterarum monumentis consignatum legimus Act. XX, 24: nullius, scilicet afflictionis, rationem habeo, inquit ibi Apostolus, neque*

C

vita

44.

44.5.

41.46.

40.47.

39.

48.

38.

49.

*ta mea cara est mihi ipsi, ut consumam cursum meum cum gaudio, & ministerium, quod accepi a Domino Jesu, ad testificandum Evangelium gratiæ Dei.*

## §. XII.

IV. FINIS,

*FINIS* restat præmonitionis sacrae, paucis adhuc delibandus. Est ille vita hominum, & indicatur verbo לחיות *ad viuificandum eum*. Vita intelligitur spiritualis pariter ac æterna. En egregium testimonium, quam serio Deus & impiorum salutis vitæque consulere velit, quantum in ipso est. Mortem enim minatur mercenariis, qui reuocationem impiorum ex periculo mortis ad vitam, susque deque habent ac scientes omittunt. Quemadmodum etiam seriam voluntatis diuinæ declarationem, eamque iuramento firmatam, de hac re legimus Ezech. XXXIII, 11; ubi: *uiuus ego, inquit Jehouah, si uolo mortem impii, sed ut auertatur impius a via sua, & uiuat. Conuertimini, conuertimini igitur a uis uestris malis: quid moriemini, domus Israel?*

## §. XIII.

Hæc sunt, *VIR* maxime reuerende atque doctissime, quæ mihi, in illud *DIC* meditati sese obie-

obiecerunt. TV mihi cogitationum harum, & imprimis etiam in vltima huius dicti verba in posterum, volente Deo, concipiendarum, auctores. Memini enim verborum, quæ aliquando vltro citroque fecimus, de ardua ac longe grauiſſima concionatorum prouincia. Ad manus pariter sunt epistolæ, quas non sine iucunditate lego ac relego, & quibus colloquii de hac re nostri memoriam recolis. Quare, quum hucusque mihi non vacauerit: nunc serena fronte, quidquid huius disserui, accipe. Qualecunque amoris, erga TE, mei, pro ea, quæ nos intercedit necessitudine, extare testimonium hoc volui: id quod æqui bonique consules. Arduum est, quod nunc fungeris munere. Nondum enim annus elapsus fuerat, ex quo Berolini ad templum Nicolai, legitima vocatione accepta, Presbyter constitutus eras: vt ibi ecclesiam doctrina euangelica, per ministerium B. Lutheri restituta, imbueres. Nunc non ita pridem

**POTENTISSIMUS REX BORUSSIÆ**  
 conciones aulicas & curam legionis regiæ tibi demandauit. Quum itaque tradita tibi sit prouincia longe grauiſſima: id votorum meorum præcipuum est, vt Numen sanctissimum gratia sua ac

44.

44.5.

41.46.

40.47.

39.

48.

38.

49.

Spiritu diuino clementissime Tibi adsit; quo muneris Tibi demandato facias ita satis, vt DICENDO omne consilium Dei, publicis priuatisque verbis, Tuam ipsius animam serues, & eos, qui Te audiunt.

MAXIME REVERENDI ET AMICISSIMI NOMINIS TUI

Ascaniæ. Idibus Iun.  
M DCC XXXVI.

Cultor deditissimus  
Gotthelf Oesfeld,  
Ascaniæ ad templum d. St.  
V. D. M.




In dex.


- 1.) Joh. Cour. Dannhauerus de Voto Septuag. & Jud. XI. 30. (1. Sept. & Marc. II. 26)
- 2.) Joh. Ad. Offänder de Davide Sacer. propositionis accipiente ab Achimelech sacerdote sumo ad I. Sam. XXI.
- 3.) Jo. Christ. Nimsch de Ammonitis a Davide atq. crudelitate sub jugo misis ad II. Sam. XII. 31. & I. Chron. XX. 2.
- 4.) Christ. Frid. Gücklerus Commentatus super locis II. Reg. II. 12. & XIII. 14.
- 5.) Christoph. Matth. Hoffius de Literis Ebraicis ad Soranum Regem Indae, in caelis scriptis ad II. Chron. XXI. 12.
- 6.) Christ. Godofr. Hoff Messias in toto, ad confirmandam atq. evchendam huj. libri auctoritatem.
- 7.) Gottlob Frid. Gude (a.) de toto incarnationis Christi Vate.  
(b.) de Urbe Sichem ab Achimelech sale confecta. (radiente.)
- 8.) Jo. Marc. Chaldonius de Vi regia Messia contunden. gentes fecul. illam. II. Reg. in nuperis terre motib.)
- 9.) Christoph. Fontanus de Trinitate Veris Testamenti catholicae. II. XXIII. 6.
- 10.) Christ. Erdm. Schumannus de Expiatione hyssopo facta. II. LI. 9. (ad II. LIII.)
- 11.) Christoph. Frid. Sartorius de salute ex Zione, divinis adversus mala generis humani quaecumq. remediis.
- 12.) Joh. Gottlob Synthes Commentatus Geometrico-Theologicae Galeni. LXVIII. Pars prior.  
Pars altera.
- 13.)
- 14.) Christoph. Matth. Hoffius in Verba II. LXIX. 22. de Felle Gya, & aceto totu Messia.
- 15.) Jud. Ant. Rosterman (J. P. J. F. Püchler) de Nomine Messiae ante solem filiato ad II. LXXXII. 17.
- 16.) Godofr. Hoffmannus (J. P. T. H. Langen) de Appropriatione nominis divini ex II. LXXXV. 2.
- 17.) Christ. Gottlob Frid. Wolf de Summi Episcopi confirmatione in II. LXXX. 18.
- 18.) Mich. Heinr. Reinhardt (J. P. C. S. Georgii) Locus verbi divini II. CXIX. vanaea.
- 19.) Jo. Frid. Dahrdt de Ablatatione spirituali ad II. CXXXI. 2.
- 20.) Chr. Frid. Neuhauser (J. P. C. B. Michaelis) de Salomon ad belitiam Exhortationibus quas libro Coheleth interspersit, Cap. II. 2. 24. 26. III. 4. 12. 13. 22. V. 17. 18. 19. VII. 14. VIII. 15. IX. 7. 8. XI. 9. 10.
- 21.) Franc. Wordenii Commentatus in Cant. Cant. cum praemissa Diss. qua ostendit Nicaute non esse objectu Cant. Cant.
- 22.) Jo. Supf. Spier de Rationali non confuso ordine Coniunctionum Prophetaru generation atq. Ezechielis spiciatione.
- 23.) Christ. Frid. Bauer de Iudaeis ut Sodoma & Gomorra futuris ex G. I. 9. & Rom. IX. 29.
- 24.) Jo. Rud. Spieringius de Superstitioso Israeitarum sub querebus cultu, ad G. I. 29. Ezech. VI. 8. 9. Hof. IV. 13.
- 25.) Wilk. Christ. Supf. Christander de Aethiops non te hypocrita quam perfecta frontis homine, ad locu G. VII. 12.
- 26.) Joh. Gottl. Büntgen de Optima inter dispendentes Antipotes sacros eligenda sententia ad G. IX. 2. & II. XXVII. (12.)
- 27.) Honr. Engelt. Schwarzenus de Christo, consiliario Patris unico, optima, sacrosipino ad G. IX. 5.
- 28.) Christ. Bened. Michaelis de Gaudis ex Nativitate Messia. G. IX. 5.
- 29.) Honr. Ara. Ledderhose (J. P. N. G. Schroeder) de Morabitide Ecclesia hospitio ad G. XVI. 3-5.
- 30.) Jo. Godofr. Ungerus de Papiro fructu ad G. XIX. 7.
- 31.) Christ. Frid. Bauer de Patre Dei. n. I. Christi nec avo, nec foreno nostro ex G. LXIII. 16. & Ephes. III. 14. 15.
- 32.) Frid. Sam. Ficklerus de Divina Jeremia ad officina Prophecticum Vocatione. ad Jerem. I. 5.
- 33.) de Statu Ecclesiae N. F. primove a Jerem. Cap. III. 14. Iff. predicto.


34.) Jo. Christ.


- 34.) Joh. Christ. Schulpius de sac. sancta jurijurandi divini in conservando messi ordine fide. ad Jerem. V. 24.
- 35.) Joh. Sebaff. Renzius (P. P. S. L. Hebenstreit) de Achabi atq. Zedecia supplicio. Jerem. XXXIX. 22.
- 36.) Joh. Bartholom. Riederer Inquisitio in genuinum sensum oraculi divini Jerem. XXXI. 3.
- 37.) Gottl. Oesfeld in Illud Theologorum: Sic et servasti animam ad ductum Ezech. III. 18. 19. *Biff. prior.*  
*Biff. posterior.*
- 38.) \_\_\_\_\_
- 39.) Jo. Rad. Hieslingius de Messia infra saluberrima planta nasciturus ad Ezech. XXXIV. 29.
- 40.) Georg. Henr. Ortmannus de Peccato per Christi justitiam abolendis ex Dan. IV. 24. *H. G. Majin (P. P.)*
- 41.) Sebaff. Schmidius de Depositione Fidelium cum Christo. ex Hof. II. 19. 20.
- 42.) Joh. Herm. Gercken Examen ingeniosa reventioris Angli translationis Verborum Hof. VI. 5.
- 43.) Laur. Jo. Jac. Lange (P. P. G. E. de Windheim) in Locum difficiliorem Hof. X. 10.
- 44.) Christoph. Frid. Sartorius de Venere Gentium desiderio ac Templo gloria implendo ad Hagg. II. 6. 7.
- 45.) Casp. Jac. Hutnius de Conductu Israelis in Behovam transpositam per Solum gratiae & precum Ezech. XII. 20.
- 46.) Georg. Setharding Illustratio dictionum quorundam S. S. V. T. e lingua Arabica.
- 47.) Jo. Heinr. Wieland (P. P. H. Michaelis) de Angelo Dei, ad Illustranda aliquot V. T. loca.
- 48.) Christ. Ludov. Schlichter de Turtura, ejusque qualitatibus, usque antiquis & emblemate, ad illustr. varii S. S. loca.
- 49.) Joh. Glentche de Mysterio Thauris, Festi junge soliti. (N. Biff. de Oblatione Thauris, V. Tom. I. ad B. V. T. a. 27)


2















dum, errore de Peccato originali se abdic  
 eumque in melius mutasse, relatum legimus,  
 clauē script. in h. l. voce *salus* recte scribit:  
 „ die ignis, h. e. tentationis, seu in agone,  
 „ trimentum patietur, h. e. a conscientia  
 „ adfligetur: & tamen, quia fundamentum  
 „ tinet, Iesum Christum; per illos angores  
 „ nimi reducetur ad salutem. „ Reddent t  
 dem rationem die huius vniuersi nouissim  
 Tunc enim experientur iudicium discussio  
 prout Theologis audit. Quo ipso infirmita  
 peccata, quæ in administrando munere for  
 se contraxerunt, conscientia ipsorum den  
 se sistent \*: vt summam Dei sanctitatem &  
 stitiam peruideant; atque hoc modo ag  
 sca

\* Celeberrimus D. I. A. SCHERZERVUS in systemate  
 theologico, B. Augustini verbis album adiicit calcul  
 p. 598. quæ sic se habent: „ cuique opera sua, vel  
 „ na vel mala, cuncta in memoriam reuocabuntur,  
 „ mentis intuitu mira celeritate cernentur: vt accu  
 „ vel excuset scientia conscientiam. „ Libr. XX. de  
 Dei. C. XIV. Quocum & doctissimus D. I. F. BVDDER  
 consentit in system. theol. p. m. 667. „ peccata pior  
 „ & illis in memoriam reditura, vt eo magis diuinæ  
 „ fericordiae magnitudinem agnoscant, a vero non  
 „ horret. „



41.  
 41.45.  
 41.46.  
 40. 47.  
 39. 48.  
 49.